In nomine Domini Amen

Ad perpetuam rei memoriam Nos Sigismundus dei gratia Rex polonie Magnus dux Lithuanie necnon terrarum Cracovie Sandomirie Siradie Lancicie Cuiavie Russie prussie Culmen Elbingen Pomeranieque etc dominus et heres Manifestum facimus his
litteris nostris universis et singulis earum noticiam habituris Quod supplicatum est nobis nomine providorum preconsulis et consulum opidi nostri Wyeliczka tenutariorum tercie partis advocatie Wielicien fidelium nostrorum dilectorum ut privilegium originale
fundacionem dicte Advocatie in se continens predecessorum nostrorum in his duntaxat articulis et punctis quorum vigore terciam partem advocatie predicte tenent et possident tenueruntque et possederunt pacifice et quiete ab eo tempore quo dictam terciam partem advoca-
cie predicte de manibus venerabilis Petri Wapowski decani Cracovien de consensu nostro redimerunt et eliberaverunt ob eius vetustatem innovare confirmare et ratificare dignaremur Cuiusquidem privilegii tenor talis est In nomine domini amen Dum littera vivit
et actio commissa littere cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum Igitur nos Secundus Premizl dei gratia polonie et Cracovie dux notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis quod Tescho et hysmboldus
venientes in nostra nostrorumque baronum presentia nobis super locatione civitatis de Magno sale incliti principis fratris nostri charissimi henrici dei gratia quondam ducis Wratislavien Cracovie et Sandomirie privilegium ostenderunt in hec verba Nos
itaque henricus dei gratia dux Wratislavie Cracovie et Sandomirie presentibus profitemur Quod Teschoni et hysmboldo fratribus dedimus civitatem nostram in magno sale iure franconico collocandam dantes ipsis racione locacionis ibidem quattuor mansos
magnos liberos pro pascuis pecorum preter fundum Civitatis omnia macella carnium Scampna panum et Sutorum Stubas quoque balneaes quotcunque pro ipsorum utilitate poterunt edificare Tercium denarium de Iudicio et sextam Curiam in civitate Carni-
ficum eciam sive curiam in qua pecora mactabuntur hec omnia cum suis posteris imperpetuum libere possidebunt Adicientes ipsis de gratia Speciali ut quicunque vel cuiuscunque condicionis fuerit sive Status qui infra spacium medii miliaris in circuitu distantis
a dicta civitate suas locare voluerit villas iure Theutonico quod dicti Tescho et hysmboldus ius sue locacionis in eisdem bonis debeant obtinere Insuper damus eisdem Teschoni et hysmboldo ut nullus Macella carnium Scamna panum vel Sutorum sive Stubas balnea-
res edificare debeat civitate in predicta absque predictorum Teschonis et hysmboldi voluntate pariter et assensu Ut igitur ad dictam nostram civitatem ardencius homines confluant ad manendum damus et concedimus inibi commorantibus ab omnibus solucionibus exactionibus
et serviciis a data presencium quinque annorum plenam et omnimodam libertatem Volentes nihilominus ut dicta Civitas civitatisque incole ab omnibus angariis et perangariis Iuris polonici videlicet Anaraz Apowoz Aprewod Apodworowe a Stroza ab opolye
a bove a vacca et a castri citacione vel quocunque nomine censeantur immunes permaneant imperpetuum et exempti Nos igitur Statuta fratris nostri pio prosequentes affectu et Statum terre nostre in melius reformare cupientes dictam donacionem et locacionem
Teschoni et hysmboldo et eorum successoribus iure hereditario imperpetuum confirmamus Et ut predicti fratres scilicet hiesko et hysmboldus eciam per nos aliqualiter consolentur pensantes ipsorum servicia gratuita et eorum perdicionem circa predictam civitatem in
melius reformare cupientes Adicimus eis de gratia nostra Speciali et eorum posteris perpetuo omni Septimana bancum Salis de Suppa liberum sive vendendi seu eciam quocunquelibet deducendi Et hereditatem Goreth vulgariter nuncupatam prefate civitati contiguam
pro agricultura cum pratis et omnibus pertinenciis ipsis et ipsorum Succedaneis sine omni exaction et servicio confirmamus imperpetuum libere possidendam Ac eciam volumus ut incole predicte civitatis per aquam et terram Cracovie et Sandomirie transeuntes ab omni
exactione thelonei penitus sint exempti Insuper volumus ut sectores Salis et coctores predicti loci coram Iudicibus prelibate respondeant civitatis Ut autem nostra confirmacio pariter et donacio perpetuo inmobilis perseveret presentem paginam nostri Sigilli
munimine duximus confirmandam Presentibus his testibus Comite Nicolao palatino Cracovien Comite Woloscone Comite Stogneo venatore Callisien Comite Alberto advocato Cracovien Gernasio cive Cracovien et aliis quampluribus fidedignis Datum
Cracovie Anno domini Millesimo ducentesimo Nonagesimo per manus Gisleri Notarii Cracovien in die Beati Iacobi Apostoli Nos igitur Sigismundus Rex predictorum subditorum nostrorum preconsulis et consulum ac tocius comunitatis opidi Wyeliczka Tenutariorum
tercie partis Advocatie Wielicien supplicacioni annuentes Considerantesque premissum privilegium esse quoniam vetustate nimia plane absumptum Illud in his punctis clausulis articulis et condicionibus quorum vigore dictam terciam partem advocatie predicti preconsul
et consules tenent Et in quorum quieta et pacifica possession existunt de certa Scientia et Speciali gracia regiis nostris innovandum approbandum et confirmandum duximus Innovamusque approbamus et confirmamus presentibus decernentes illud ipsum privilegium
in his duntaxat passibus robur obtinere perpetue firmitatis quorum vigore ut prefertur prefati preconsul cum consulibus Wielicien terciam partem advocatie Wielicien pacifice possident Citra tamen preiudicium iuris nostri quod nobis ad macellas carnificum in opido
nostro predicto Wyeliczka sittorum ex ordinacione consensus nostri ad eximendum dictam terciam partem advocatie Wielicien de manibus dicti Venerabilis Petri Wapowski Crac Sabbato proximo post festum circumcisionis domini Anni eiusdem Millesimi quingentesimi duode-
cimi Regni vero nostri quinti concessi contenta competitur Quamquidem ordinacionem pro meliori cautella presentibus scribendam censuimus Cuius tenor talis est Quod tametsi Macella carnium cum omnibus eorum attinenciis ad ipsam advocatiam a prima sui
origine et fundacion pertineant Tamen ipsi opidani nobis in hoc morem gerere et gratiam pro isto beneficio quod scilicet eis hanc advocatie partem favere non negaverimus referre volentes ipsa omnia macella carnium possessa et deserta constructa et construenda cum toto eorum
censu iure dominio et proprietate nil penitus sibi reservantes post sex annorum se se immediate sequentium decursum A tempore quo eiusdem tercie partis advocatie possessionem realem et actualem assecuti fuerint resignare libereque et sine mora dimittere nobis
in manus nostras vel procuratoris nostri debebunt dimittentque et resignabunt perpetuo habenda et possidenda Sed intra cursum temporis sexennii integri omnes fructus omnes census omnesque proventus Preconsul et consules predicti pro necessitate et usu opidi illius Wyeliczka
in toto et in parte accipient percipient et convertent usque ut diximus ad sex annorum decursum se continue et immediate sequentium et resignacionem eorundem macellorum iuxta ordinacionem suprascriptam nobis faciendam Ceterum quia in premisso privilegio fundi
advocacialis advocatie predicte Wielicien Suma pecuniarum advocatis Wielicienbus non fuit nec est inscripta Memorati autem preconsul cum consulibus Wielicien ac tota comunitas opidi illius Summam mille octingentorum florenorum in moneta in quemlibet flor
Triginta grossos polonicales computando dicto Venerabili Petro Wapowski decano Cracovien Eximendi dictam terciam partem Advocatie Wielicien numeraverunt et effectualiter dederunt Ipaque tercia pars advocatie Wielicien dictis preconsuli cum consulibus ac tote
communitati Wielicien coram Iure supremo Maidemburgen castri Cracovien pro Summa suprascripta Mille octingentorum flor fuit et est per dictum Petrum Wapowski vendita resignata et inscripta Quamquidem exempcionem resignacionem et inscripcionem ratam et
gratam habentes illam simul approbamus confirmamus et ratificamus Ac Summam predictam Mille octingentorum flor in moneta florenum quemlibet ut prefertur per triginta grossos computando prefatis preconsuli et consulibus ac communitati Wielicien et eorum
Successoribus legittimis in dicta tercia parte advocatie Wielicien et eius fructibus et utilitatibus in quorum nunc pacifica possession existunt demptis macellis carnificum inscribendam dignati sumus et presentium tenore inscribimus per ipsum preconsulem et Consules totamque
comunitatem terciam ipsam partem advocatie Wielicien in Summa prescripta Mille octingentorum florenorum predictorum cum omnibus utilitatibus fructibus et proventibus in quorum ut dictum est pacifica possession existunt tenendam habendam utifruendam pacifice et quiete possiden-
ac nostro tamen consensu requisito et obtento dandam donandam inscribendam et obligandam ac in usus suos beneplacitos convertendam perpetuo et in evum Iuribus nostris regalibus semper salvis Salvo eciam iure quod ut premissum est nobis ad macellas carnificum ibidem in Wye-
liczka sittorum competit Preterea quia ut docti sumus certe littere per dictum Petrum Wapowski decanum Cracovien super dictam terciam partem advocacie Wielicien concesse retente sunt et non fuerunt circa exempcionem dicte sortis advocatie coram nobis nec Iure supremo Crac
exhibite Igitur ne per huiusmodi litterarum retentarum exhibicionem et notificacionem et publicacionem in post fiendam Nos imprimis et deinde preconsul cum consulibus ac comunitas Wielicien aliquid difficultatis vel damni incurramus vel incurrere possint Omnes
litteras et inscripciones retentas vel negatas et coram nobis vel iure supremo castri Cracovien loco et tempore exempcionis per dictum decanum vel suum procuratorem non positas neque exhibitas eodem modo de certa Scientia nostra cassamus mortificamus et nullius roboris
fore decernimus decernentes eas tam in Iudiciis quam extra ea publice et privatim invalidas infructuosas et nullius roboris fore in evum tenore presentium mediante In Cuius rei Testimonium Sigillum nostrum presentibus est Subappensum Actum et datum Cracovie feria quinta
ipso die Sanctorum omnium Anno domini Millesimo quingentesimo Quintodecimo Regni vero nostri nono Presentibus ibidem Reverendis Magnificis generosis et Venerabilibus Ioanne Cracovien Petro Thomiczki premislien Ecclesiarum Episcopis et regni nostri vicecancel-
lario Christoforo de Schidlowyecz palatino et capitaneo generali Cracovien et Regni nostri Cancellario etc Andrea de Thanczin palatino Lublinen Nicolao de Schidlowyecz Sandomirien et regni nostri thezaurario Nicolao Iordan de Zakliczin Woynicien Io-
anne Bochotniczki de Olesnycza Vislicien castellanis Ioanne lathulski Gneznen Cracovien et Lancicien Ioanne Karnkowski Skarbimirien et Canonico Cracovien Stanislao Borzski Callisien et Canonico Gnezn et Poznanien prepositis Et aliis quampluri-
mis dignitariis officialibus Curiensibus nostris ad premissa testibus fidedignis sincere et fidelibus dilectis Datum per manus eiusdem Magnifici Christofori de Schidlowyecz in Sczmyelow et magna oppathow palatini et Capitanei generalis Crac et Regni nostri
Cancellarii Siradiensque Costinen et Sochacevien etc Capitanei Sincere nobis dilecti

Cristoforus de S. palt et c.
Cracslar. R. p. Cancrius

Relatio Magnifici Christofori de Schidlowyecz Palatini et Capitanei
generalis Cracovien et Regni Polonie Cancellarii etc

4

Ob 47 [illegible] Donatio oppidi Mielecz cum 4 [illegible] et [illegible] Advocatiis cum Confirmatione Regis Sigismundi A 1511

W. Potrzebny de Gronow od Zabawy do Czterech Łanow. Pola etc legat

Sigismundi Regis
Confirmatio super [illegible] et [illegible]
Crechur [illegible]

[illegible] Empcio terre pertis Lacerae

Habetur in Senato Fol 109 173

1515

Rk

N 57